



**Legia Catholica**

**Robertii, Johannes**

**Leodii, 1633**

5. Templa Deo & Sanctis erecta, consecrata, dotata, ornata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64596](#)

nendâ , & prauis dogmatibus,  
omni ope procul pellendis, om-  
nibus est notissima.

Ex his iam perspicuum om-  
nibus esse debet , Nullam esse  
Ecclesiam , nullam nationem,  
quæ in sape dictâ Religione  
tuendâ , cum Leodiensi possit  
contendere : multas verò , atque  
adeò plurimas , ab eâdem lon-  
gissimè superari.

Pergite , Leodienses , quo  
haec tenus pede progressi estis :  
neque committite , ut hæc vestra  
gloria vel minimam maculam  
ullo vñqnam tempore , con-  
traxisse , iure dici possit.

*5. Templa Deo & Sanctis  
erecta, consecrata, do-  
tata, ornata.*

**H**Oc argumentum , vel si so-  
lum sit , sufficiat , ad Leo-  
dien-

MO L E G I A

dienſium Catholicam Fidē probandam ; maximē si attendamus , & omni æuo , alia atque alia extorta fuisse : & in eorum nullo præter Catholicam , aliam ynquam fuisse promulgatam doctrinam . Hoc , eti ex ijs , quæ hactenus memorauimus , clarum , apertumque est ; operæ tamen pretium est , ἀνα-  
ξφελαιων breuem hīc pone-  
re , ex quā idem magis , magisq;  
elucescat .

Sunt in Vrbe Leodiensi ( de  
hāc solā , eiusque Suburbijs iam  
agam , reliquis per Episcopatu-  
m , fere omissis ) Canonico-  
rum Collegia decem ; tribus in  
Cathedrali Ecclesiā numeratis .

Neque modica , aut minuta  
ista Collegia sunt , & paucorum  
hominum , ut passim alibi vide-  
mus Canonicos octenos , aut  
denos .

denos: Cathedralis Ecclesia sexagenis constat; reliquæ, singulæ tricenis: duo tamen Collegia, Cathedrali assita, aliquanto sunt minore numero. Omnino Canonici Leodij sunt plures trecentis. Quibus in Diuinis Officijs obeundis subseruiunt, quos Sacellanos dicimus, alijque administrari non pauci.

Ecclesiæ, quas Parochiales dicimus, triginta quatuor quotidie à Catholico Populo frequentantur. Religiosorum Virorum Domicilia, ut minimum sunt 22. quibus accedunt sacramrum Virginum 10.

Adde his Sacella, siue publica Oratoria 12. Adde Xenodochia, siue Nosodochia, id est, vel Peregrinorum, vel ægrorum hospitia, quæ ideo Hospitalia vocamus, 15.

Iam Beguinarum (de quarum Origine, & Instituto, in Radulpho Episcopo 62. egimus) domicilia, partim maiora, partim minora, tot sunt, ut numerus ægrè iniri possit. Ponam, ut minimum, 50.

Quæ si alijs locis sacris annumeres, reperies ad 153. Quæ omnia à Catholicis Imperatoribus, Regibus, Principibus, Dynastis, Episcopis, alijsve vel sacris, vel alioqui pijs hominibus, fundata, & dotata, Catholicæ Religionis, & Fidei, insigniter Leodij florentis argumenta sunt certissima, atque adeo Sole clariora.

#### 6. Altaria, Missæ sacrificium.

Templa eò potissimum comparata sunt, ut in ijs Altaria statuan-